

IV. Ad effrenatam impiorum peccandi libidinem coercendam: quemadmodum patibulum erigitur, et conservatur extra civitates ad furum terrorem et correctionem. Fœdum quidem illud est spectaculum, quod propterea dicuntur aliquando fures averruncari petiisse; sed responsum est eis: *Quando ipsi furta sustulerint, tunc etiam tollenda fore patibula, non prius.* Itaque mors frænum est coercens peccandi nimiam licentiam. Transivit aliquando Carolus V. Cæsar Neapolim suam et vidit per urbem passim equos in ostiis domorum civiarum pectos, absque fræno subsultantes. Quæsit ergo quid sibi vellent, et responsum est, esse urbis insignia. *Bene est,* inquit, *faciam ergo ut hi equi frænum habeant.* Struxit itaque castellum urbi imminens munitissimum, et appellavit, *La briglia*, h. e. frænum, quo nimirum subjectam civitatem in obedientia continere, et frænare cives posset. Refertur in princip. orbis civitatum Hafnaglii. Quis non videt in mundo passim effrenatos homines qui velut equi soluti in omnia scelera ruunt et subsullant? Ita enim queritur Deus per Jer. ca. V. de illis: *Equi amatorii emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Quid igitur faciet Deus? Mortis castellum inexpugnabile rebeli mundo opposuit, imo et præposuit, ut in illum mors sua tela evibraret ad continendum eum in timore Dei. Ita loquitur Ps. LIV. *Veniat mors super illos et descendant in infernum viventes: quoniam nequitia in habitaculis eorum.* En causam equi lascivientis in ædibus peccatorum. Mortem sibi a tergo imminentem videant, horreantque, ut vel sic peccare metuant. Non sufficiebat ad hoc fames, bellum, similesque plagæ, mors accersenda fuit, qua jam instante tunc incipiunt homines descendere in sepulcrum viventes, mortem contemplantando sibi que metuendo. Sic impletur, quod ait Job de effræne peccatore, quem nemo arguere aut punire audeat: *Quis arguat coram eo viam ejus? Et quæ fecit quis reddet illi?* Et respondet: *Ipsæ ad sepulcrum docetur, et in congerie mortuorum vigilabit,* Job. II. Eo perductus Achab per comminationem mortis respuit saltem ad tempus, III. Reg. XXI. Rex quoque Balthasar denunciata sibi morte imminente totus contremuit, Dan. V. aliique passim evigilant mortis horrore, qui nisi ad portas mortis ducerentur, nunquam se emendant.

V. Ad exercitium et meritum piorum et Christi militum, qui cum morte luctando maximas reportaturi erant coronas; uti in primis reportarunt martyres, deinde qui morti se obsidenti promptu offerunt animo, et venienti obviam eunt. Ut ergo Lacedæmoni certam hostium ur-

bem, quæ sæpe multum ipsis negotiis facessebat, delere noluerunt, quod dicerent: *Cotem juventutis esse destruendam* (apud Maiol. tom. III. canic. col. III.) ita etiam Deus voluit superesse mortem suis militibus ut in ejus aggressu viros se ostenderent, adeoque sibi ipsis propria virtute immortalitatem compararent. Potuisset Deus Hebræos via terrestri et breviori adducere in terram promissionis, sed maluit potius per mare rubrum ducere, tum ut eorum fidem et magnanimitatem extimularet, tum ut eorum hostes in mare demergeret. Pari modo poterat Deus a mortis transitu declinare, et alia via faciliore ad cælum evocare; sed elegit viam mortis, ut in transitu non exerceeret ad virtutem, et simul peccata nostra mergeret; a quibus nos alioquin vix unquam expediremur. Quam multi enim sunt, qui sub mortem ingruentem demum perfecte se ad Deum convertunt; nunquam alias conversuri. Ibi denique projicit Deus in profundum maris peccata eorum. Ibi gaudent moribundi cum enecta Ægyptiorum cadavera, peccata, inquam, sua extincta, jacere ad littus maris, ad finem vitæ suæ vident. Quod quidem defuncto etiam nostro concessum fuisse non dubitamus; siquidem ad hunc transitum studiose se munivit, adeoque magno animo mare hoc egressus, feliciter pertransiit, etc. Ut merito sperare possimus eum modo cum Hebræis Deo laudes canere et cum apostolo dicere: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum,* I. Cor. XV.

CONCIO XXIII.

BENE MORTUIS GRATULANDUM.

THEMA.

Laudavi magis mortuos, quam viventes. Eccl. IV.

Paradoxa nobis videtur et inhumana Thracum consuetudo, qui teste Herodoto, filios recens natos lacrymis, mortuos vero epulis et gaudiis prosequebantur. Et tamen si rem bene expendamus, non videntur a ratione multum aberrasse. Quid enim est, quod ait Salomon sane sapientissimus, in Eccl. c. IV. *Laudavi magis mortuos, quam viventes.* Id exponit S. Hier. « Ad comparationem miseriarum, quæ in hoc sæculo mortales premunt, feliciores judicavi mortuos, quam viventes; secundum illud Job: *Ibi quieverunt fessi robore cum his qui vineti fuerunt jam securi non audientes vocem exactoris.* » Nec a Thracum consuetudine David ablusit,

quando filiolo suo cum morte luctante, jejunavit et jacuit in terra, eo autem mortuo surrexit, et lotus et unctus est, mutavit vestem lugubrem et comedit, II. Reg. XII. quasi gratularetur infanti e vitæ hujus miseriis erepto. Quod miro quodam ostento alius quidam infans docuit mortales, qui, si verum est quod scribit Plinius, I. VII. c. III. Sagunti in lucem editus, profinus in utero matris reversus est, quo anno et ea civitas ab Hannibale deleta est, quasi prævidisset infans interitum et calamitatem patriæ. Sane etiam defunctus noster, qui uti de terra prodiit, ita etiam in utero matris suæ reversus est; quasi ipse quoque miseriis hujus mundi fugisset; cui proinde nos congaudere potius quam condolere possimus; verum sano et christiano modo, quem nunc exponemus. S. Bernardus, in transitu S. Malachiæ scribit: *Triplex in morte congratulatio est homines ab omni labore, peccato, et periculo liberari.* Hæc tria sunt, ob quæ defuncto etiam nostro gratulari nos possimus.

I. Quia per mortem ab innumeris hujus vitæ molestiis, miseriis et cladibus, quibus exagitantur viventes, liberatus et absolutus est. Unde dixit Ecclesiast. c. XXX. *Melior est mors, quam vita amara.* Si nimirum spectemus solum naturalia bona vel mala. Quo sensu etiam dixit Job, c. III. *Pereat dies in qua natus sum.* Et Græci illi apud Senecam in Agamemnone, qui devictis barbaris, eorumque spoliis onusti domum revertebantur: cum se jactari viderent magnis in mari tempestatibus, felices illos dixerunt qui in acie ceciderunt: melius existimantes in prælio occumbere, quam maris tempestatibus exagitari. Idem sensere illi, qui miseriis hujus vitæ experti sunt. Audiamus D. Ambros. I. de bono mortis, c. III. « Quid enim est, inquit, quo hæc vita delectatur, plena ærumnarum et sollicitudinum, in qua innumeræ calumniæ et multæ molestiæ et multæ lacrymæ eorum qui affliguntur molestiis, et non est, inquit, qui eos consoletur? etc. Itaque si plena oneris vita, utique finis ejus alleviamentum est. » Et S. Aug. I. XIII. de civit. c. X. « Homo, ait, non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressus sit nesciens, prophetat quodammodo. Solum quando natus est ferunt risisse Zoroasten: nec ei boni aliquid monstruosus ille risus portendit; nam magicarum artium fuisse perhibetur inventor, quæ nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt. A Nino quippe rege Assyriorum, cum ipse esset Bactrianorum rex, bello superatus est. » Denique si Salomon, qui in maximis divitiis atque deliciis vixit, ita hoc de sæculo sen-

sit, ut diceret: *Tæduit me vitæ meæ; videntem mala universa esse sub sole et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus,* Eccl. II. quid de miseriis aliis dicemus, qui in assiduis laboribus et miseriis versantur? Quid non sustinent mortales, quid non excogitant, præcise ut sibi panem quærant? Sic enim Ecclesiastes idem, c. VI. ait: *Omnis labor hominis in ore ejus.* Atqui mors, si aliud non præstaret, ab hoc labore liberat. Benedixit Cic. I. I. de oratore, viros sapientes, qualis erat Socrates, cum laude et voluptate quasi cyenos mori. Fabulantur enim cyenum morientem interrogatum, cur in morte sua suaviores ederet sonos, quam omnia alia animalia timent, respondisseque cyenum: *Quia neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos mortuus extimescam.* Hoc fere idem diceret defunctus noster, si jam loqui posset.

II. Quia liber jam est a peccato, capitali hoste nostro, et peccandi periculis, perpetuaque lucta, quam gessit cum peccato, ejusque præsidariis, qui sunt passionis nostræ. « Quid enim est, inquit S. Cypr. tr. de mortalit. in mundo et vita hac nisi pugna cum ira, gula, libidine? Hinc gratulatur Sapiens raptum esse justum, ne malitia mutaret intellectum ejus. » Et nonne apost. ad Ro. VII. gemit se venundatum esse sub peccato, h. e. traditum esse concupiscentiæ quasi tyranno? Inde enim exclamat: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » h. e. de corpore peccandi affectibus et periculis obnoxio, adeoque ad mortem peccati animam pertrahente. Refert S. August. I. V. contra Julianum ex Aristot. « Simili nos affectos esse supplicio atque eos, qui quemdam cum in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata quam artissime colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos. » Quid mirum igitur si Paulus a corpore suo misero et concupiscentiæ subjecto, cujus fœtore anima facillime inficitur et ad mortem pertrahitur, liberari desideravit? Cogitur enim anima omnes corporis sordes, necessitates et infirmitates sustinere: non secus, ac si molosso alicui alligata foret, qui eam huc illuc traheret, quocumque eum libido egerit modo ad rixandum, modo ad vorandum, modo ad sternendum, modo ad vomendum; quem proinde aut verberibus continuo coercere, aut quaquaversum sequi deberet. Hæc namque est infirmitas, quam incurrimus per lapsum Adami, a qua dissolvi cupiebat Paulus. Hinc sapienter Theodosius VI. imp. cum

deposito imperio, clericus factus pie admodum vixisset, ita ut post mortem miraculis coruscaret, sepulcro suo epitaphii loco unicum verbum inscribi jussit, *Sanitas*, ut nimirum designaret virum fidelem per mortem dumtaxat consequi perfectam animi sanitatem, cum a passionibus illis et concupiscentiis liber fuerit, ut tradunt annales Theomp. I. Cedren. Zonaræ apud Baron. anno 717. Tametsi vero non lethalibus peccatis inficiatur anima, inficitur saltem venialibus ex consortio corporis, quæ et ipsa sunt infirmitas quædam animæ. Sed audiamus August. I. I. cont. II. ep. Pelagii, c. XI. « Liberari a corpore mortis est, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus sed ad gloriam. » Et S. Ambrosius, I. de bono mortis, c. II. *Quid est mors, nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio?*

III. Quia jam liber est a vinculis hujus corporis, in quibus detinebatur velut captivus, quominus evolare ad libertatem et patriam suam posset. Nisi enim S. Paulus captivum se in hoc mundo agnovisset, utique non dixisset: *Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo*, ad Philip. I. Ita enim explicat ea verba S. Gregorius IV. moral. c. XLI. *Dissolvi*, inquit, *Paulus non quæreret, nisi se vincum videret*. Quis autem expectatum se agnoscens, non cupiat solvi, et dimitti? *Qui desiderat dissolvi*, inquit S. Augustinus, tract. IX. in ep. Joan. *et esse cum Christo, non patienter moritur*. Sic vivebat et moriebatur S. Simeon cum viso Salvatore cantabat: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace*. In quem locum S. Ambrosius, lib. de bono mortis, c. II. ait: « Ita dimitti petiit, quasi a vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quædam corporis hujus, et quod est gravius, vincula tentationum, quæ nos alligant, et ad injuriam captivitatis adstringunt quadam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus, quemadmodum anima decedentis paulatim solvat se vinculis carnis et ore emissa volet tamquam carcereo corporis hujus exuta gurgustio. Sic avolabat ex hoc carcere cum gaudio S. Cyprian. ep. Carthaginensis, cum audita Valeriani imp. contra se lata sententia: *In Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*, respondit: *Deo gratias, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere*. Ut in ejus actis. Ita etiam pia quædam domina, apud collectorem speculi, subitio plaga fœdissima percussa, cum alii sortem ejus deplorarent, ipsa ridere cepit. Causam rogata respondit: *Si quis detineretur in carcere ea conditione, ut inde non eriperetur, donec muri carceris undique corruisent; nonne si videret parietes jam ad ruinam inclinatos,*

ac paulatim ruentes, gauderet potius quam flet? Qua cum anima in corpore velut in carcere constricta sit, gratulari sibi debet, quando videt parietes ejus jam fatescere et ad ruinam propendere. Id fecisse Georgiam rhetorem Leontinum, ditissimus licet, refert Stobæus, ser. CXV. Rogatus enim an libenter moreretur: *Maxime*, respondit, *nam tamquam ex putri et diffuente ædificula non invitus discedo*. Verumtamen non omnes vincetos cupere e carcere educi. Qui enim inde ad supplicium educuntur, haud libenter inde exeunt: qui autem ad principatum educuntur, exeunt libentissime. Ita ex uno eodemque carcere Pharaonis extractus fuit pistor ad furcam, pincerna vero restitutus suo officio, Genes. XL. Utique hic cum gaudio, ille cum gemitu. Pari sorte ex eadem captivitate sub Georgio Podiebraccio Bohemorum regulo captivi duo fratres Ladislaus et Matthias, filii Huniadis, exempti fuere: sed Ladislaus ad mortem gladio excipiendam, Matthias ad Hungariæ regnum capessendum: diverso sane facto et sensu. Ut est in hist. Bohem. Hageci et Dubravii, lib. XLI. Pari modo qui male sibi conscii sunt, ægre corpus suum deserunt in articulo mortis: qui vero bona præditi sunt conscientia, perlibenter moriuntur; quia illi supplicium, isti gloriam expectant. Rursum qui cives hujus mundi sunt, nullo emigrationis desiderio tenentur; similes custodi carceris, qui in carcere habitat velut in domo sua, non velut in carcere. At qui cives cœli sunt, educi ex hoc mundo desiderant quia in eo detinentur velut vincti et captivi. Illi vero velut reptilia sunt, quæ in terra sibi sedem quærunt, ad alta non aspirant; isti velut volatilia, quæ in caveis inclusa nunquam quiescunt, tametsi eæ ornatissimæ sint, sed eluctari semper et ad liberam evolare auram quærunt. De prioribus illis ait Eccles. c. XLI. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* De posteribus subdit: *O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus*. Amara fuit Antiocho impio regi, quando jam desperata vita, vermibus scatens, vota fecit, missurum se dona templo Jerosolymitano, imploravit Judæorum preces, promisit insuper se Judæum futurum, omnem quoque terræ locum præambulatorum et prædicaturum Dei potestatem, II. Macch. IX. Denique cum dixit: *Ecce pereo tristitia magna in terra aliena*, I. Macch. VI. sicque misere extinctus est. Noti sunt aliorum insigniter impiorum immanes mortis pavores, uti Neronis, qui necem sibi structam metuens huc illuc diffugit jam ad Tiberim se præcipitaturus, jam mutata veste fugiens ex urbe fulgure adverso pavefactus

jam in specum egestæ arenæ concedens, jam quadrupes per effossam cavernam in cellam irrepens se abscondit, tandemque ferrum jugulo adegit, teste Suet. Rursum impiissimi Caligulæ qui cum deos contemneret, ad minima tamen tonitrua et fulguræ connivere, caput abnuere, ad majora vero se proripere e strato sub lectulumque condere solebat, teste eodem. Præterea pessimi imp. Anastasii hæretici, qui ex oraculo se igne periturum cum audisset, cisternam sibi subterraneam paravit in qua sibi salutem quæreret: audita tempestate de cubiculo in cubiculum anxius cucurrit, ne fulmine peteretur, teste Zonara, lib. III.

E contra bona et optata est mors piis; quod exemplis plurimis doceri potest. Pauca videamus. S. Hilarion a latronibus invasus et interrogatus: *Quid faceres, si latrones ad te venirent?* respondit: *Nudus latrones non timet*. Et illi: *Ab eis tamen occidi potes. Possum*, inquit, *possum, nec tamen latrones timeo, quia mori paratus sum*. Refert S. Hier. in vita ejus, c. IV. Ambros. suis civibus moriturus dixit: *Non ita inter vos vixi, ut me pudeat inter vos vivere: sed nec mori timeo, quoniam Dominum bonum habemus*, Paulin. in ejus vita. Gerardus S. Bernardi frater sub mortis horam cantabat id Davidicum: *Laudate Dominum de cœlis*, uti refert S. Bern. ser. XXVI. in cant. S. Columbanus junior senioris Columbani discipulus et cognatus, morti vicinus ex postulabat cum magistro suo Columbano, quod per ejus preces et lacrymas a morte retardaretur. In chron. Augustinia. cant. III. Ramirus Legionensis rex, religione et virtute bellica laudatissimus, post multas de Arabibus obtentas victorias, moriens sacris munitus proclamavit cum lacrymis: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*, apud Baron. an. 930.

Quando igitur illi qui pie ac laudabiliter vixerunt, mortem non extimescunt, nec cur extimescant, habent, est sane cur gratulemur eis potius, quam ut compatiamur. Hac enim ratione consolatur D. Chrysostomus viduam quamdam Therasio viro suo orbatam, tom. V. in ep. priore ad viduam juniorem: « Siquidem justus, inquit, penitus interiisset, atque in nihilum abiisset, morendum ac dolendum erat: sin autem ad quietum placitumque delatus est portum, atque ad suum verum Regem profectus est: nullus hic lacrymis, sed lætitiæ locus est. Etenim hæc mors non est mors, sed migratio, ac domicilii mutatio a deterioribus ad meliora, a terra ad cœlum ab hominibus ad angelos et archangelos, atque adeo ad ipsum archangelorum Dominum. » Et mox: « Quamobrem quantum

luges, cum tam commodus ac bonus esset, jussum esse ad Deum ire: tantum lætari oportet, magna illum cum securitate et gloria profectum esse et a periculis, quæ hic imminebant, tumultu liberam, pacatam placidissimamque vitam vivere. Quam enim absurdum est fateri quidem cœlum terra longe melius esse, ac tamen eos, qui hinc eo commearunt luctu prosequi? Nam si beatus iste ex illorum hominum numero fuisset, qui turpiter ac Deo minime probati vixerunt, profecto non solum mortuus, sed etiam vivens fletu atque ejulatu prosequendus erat; non solum viventis, sed etiam somnum suum obdormienti gratulandum. » Ita S. Chrys. Quando igitur et nos non vane ominamur, defunctum nostrum fuisse unum ex amicis Dei et civem cœli, ex his et illis N. N. argumentis, et vita ejus laudabili multis piis operibus comprobata, et modo non deploranda videtur emigratio, sed etiam plausu quodam et gaudio prosequenda. Quia tamen non omnes Therasii sumus, et ab omni labe immunes; sed proh dolor! plurimis, ut timendum, adhærent labe aliquæ, licet expiabilis; danda nobis est opera, ut piis saltem precibus, quando aliter non possumus, ad cœlestem patriam eum deducamus, etc.

CONCIO XXIV.

PIIS MORI LUCRUM EST.

THEMA.

Mihi autem vivere Christus est, et mori lucrum. Ad Philip. I.

Solet quandoque a collusoribus talis institui ludus, in quo lucrum accipiat, qui perdit: perdat qui lucratur. Neque hoc videri novum, aut inusitatum debet. Sæpe enim et ipse Deus hujusmodi ludum cum hominibus ludit, ut perdendo lucratur aliquid, lucrando aliquid perdat. Testem adduco Themistoclem Atheniensium belli ducem, qui cum pulsus primum Athenis, et mox tota Græcia, venisset ad Persarum regem Xerxem, ditissimus ab eo repente factus est. Quare magna dona, quibus a rege honoratus erat, intuens dixit: *O pueri, perieramus, nisi perissemus!* Perire enim videtur, qui cogitur exulare: at Themistocli exilium cessit ad felicitatem, et maximas divitias, Plut. in apoph. Mundus, cum quis integer vitæ moritur, dolet et perire ipsum judicat; quia e vita hac in exilium agi putat. At revera errat. Qui enim tali modo exulat, in patriam conce-

dit: et qui vitam hanc perdit, vitam acquirit, ac cum lucro quidem, multo meliorem, quam perdiderat. Hoc est quod apostol. ad Philip. I. ait: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Non ergo insulse Ægydius, unus e primis S. Francisci sociis inter alia paradoxa dixit: *Si vis lucrari bene, da operam ut perdas.* In vita apud Sur. 23. apr. Cum lucro enim vir bonus accipit vitam alteram, qui præsentem amittit. Quod si res ita se habet, non est profecto cur tristemur de morte piorum hominum, sed gaudeamus potius. Hoc vero ut obtineamus, ostendamus prius quod diximus, mortem afferre lucrum.

I. Quia per mortem ex jure, quod habemus ad cœlestem hæreditatem, immittimur in ejus actualem possessionem. Magnum vero hoc lucro est, si quis pro jure, quod habet ad rem possidendam acquirat, jus in re, ut de facto id possideat, v. g. si haberes jus ad regnum Neapolitanum, detentus vero esses a tyranno, ne possessionem ejus adire posses, nonne pro lucro accipies, si quis te exemptum a vinculis constituat in possessionem regni tui; tametsi id sine aliqua tua molestia fieri non posset? Sic accidit Adado juveni, qui e paterno Idumææ regno, ob iram Davidis, profugerat ad Pharaonem regem Ægypti, mansitque in exilio, donec morerentur hostes ejus. Quibus extinctis rogavit Pharaonem: *Dimitte me, ut vadam in terram meam.* Cumque eum detinere vellet Pharaon, velut sibi carum et jam affinem factum, institit nihilominus: *Obsecro, ut dimittas me.* Pro maximo igitur lucro et beneficio accepit dimissionem suam per quam paternum acquisivit regnum, III. Reg. XI. Idem contingit electis ad regnum cœlestem, cum per mortem dimituntur ad occupandum regnum suum. Hinc apostolus cum dixisset, II. Cor. V. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam in cœlis;* subdit mox: *Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superinlucipientes.* In hunc sensum explicat id mortis lucrum S. Chrys. ser. V. in cap. I. ad Philip. « Esto quispiam, inquit, divitiis multis, famulis, auro abundans: nulla autem harum rerum utatur, num is divitiis istis dives erit? *Minime.* Sed videat præterea a filiis dissipari temere circumcursantibus, nec quicquam curet; adde etiam si vis, percussus non doleat, at hunc dicemus in divitiis esse? Nequaquam, tametsi ipsius sunt divitiæ. Ad hunc etiam modum se habebat Paulus: Mihi, inquit, vivere Christus, si meam vestigas vitam: ille est et mori lucrum; cur? Quoniam major mihi illius notitia

erit, et familiarius cum ipso versabor. Quare hoc nihil aliud est, quam moriendo ad vitam pervenire. Nihil mihi durius facient, qui interfecerint, ad meam me emittentes vitam, et ab hac, quæ mihi apta non est liberantes. »

II. Quia vitam hujus sæculi multis modis imperfectam per mortem commutamus cum perfecta, imo omnibus numeris perfectissima. In hunc sensum exponit lucrum illud mortis S. Thomas: « Hic inquit, apostolus proprie loquitur, quilibet enim sibi ad lucrum reputat, quando vita, quam habet imperfectam, potest perficere. Sic infirmus ad lucrum reputat suam vitam. Vita nostra Christus est. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: sed hic est imperfecta. Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino: et ideo quando morimur corpore, perficetur nobis vita nostra, scilicet Christus, cui tunc præsentem sumus. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, etc. » Sic ille loquens de spirituali hominis vita, qua vivit per gratiam: quæ utique perficitur, et cum maximo lucro permutatur in eam, qua vivit per gloriam. Nostra quidem per gratiam conversatio etiam in cœlis est, uti beatorum. « Verumtamen non sic nostra, sicut illorum, inquit S. Bernard. serm. V. de fest. om. ss. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Pro lucro utique reputat sponsus, si pro arrha sibi a sponsa tradita, accipit ipsam sponsam: et mercenarius, si pro cuprea moneta in pignus data, finitis laboribus, capit argenteam vel auream. Hoc autem est lucrum illud, quod per mortem acquirit justus. » Ad hæc si loquamur de vita hominis corporali, etiam illa per obitum perficitur, et ex misera atque infirma maximo cum lucro permutatur in beatam et sanctissimam. Quid miseriarum hæc vita habeat, quis non experitur? Unde S. Greg. hom. XXXVII. in evang. « Temporalis vita, ait, æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? » Quomodo enim vita censenda est, quæ perpetuum bellum gerit, cum paupertate, fame, nuditate, contemptu, invidia, persecutionibus, morbis, et continuo mortis timore? His et aliis omnibus miseriis caret altera vita; quis ergo non pro lucro reputet, hanc cum illa commutare? Per hoc enim, ut paucis dicam, homo fit liber e servo, certus e dubio, beatus e misero.

III. Quia terrenam hujus vitæ habitationem manufactam commutamus cum cœlesti non manufacta: et pauperulam substantiam cum altera

ditissima. De illo ait apost. II. Corinth. V. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur; quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* De hoc vero Hebr. X. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscetes vos habere meliorem et manentem substantiam.* Jam vero quis non pro lucro habeat, accipere domum cœlestem pro terrena et lutea; æternam et stabilissimam pro lapsabunda? Propriam pro aliena? Nam ut D. Augustinus, serm. XLIX. ad frat. in erem. ait: « Sic est vita nostra, quasi homo in domo aliena, nesciens qua hora vel die Dominus dicat: *Vade foras, quia non est tua domus, in qua es.* » Et rursus in Psal. XXXVIII. ad prædicta verba apostoli ait: « Si domus hæc æterna est in cœlis, cum ad eam venerimus, inquilini non erimus. Quomodo enim eris inquilinus in æterna domo? Hic autem ubi dicturus est Dominus, migra, et quando dicturus est, nescis, paratus esto. » S. Godefrid. comes Copprenberg. ditissimo suo comitatu renuntiavit, et Præmonstratensium ordinem ingressus est, hoc usus argumento: « Si posset una siliqua emere civitatem, num tu siliquam retinere malles, quam pro ea accipere civitatem? Ita ego facerem, si comitatum terrenum mihi eligerem pro cœlesti civitate, quam pro illo comparare possum, » apud. Sur. 13. jan. Atqui talem commutationem facit justus in morte sua; sive habitationem consideres, sive substantiam et facultates, quæ in ea sunt. Omnes enim hujus mundi divitiæ, paupertas mera sunt, cum bonis cœlestibus comparatæ, siliquæ sunt. Terrena substantia æternæ felicitati comparata pondus est, non subsidium.

Consuetudo est Romanis, ut cum quis cardinalis eligitur in pontificem, qui de plebe sunt, mox involent in ædes illius cardinalis, eamque expolient rebus omnibus, quascumque in eis repererint: et quidem impune neque invito illo, cujus domus est. Acquirunt enim pro ea longe augustiorem, longe ditiorem, pontificium scilicet palatium majoribus instructum et dotatum divitiis. Hunc in modum justus, cum per mortem perdit terrenam suam substantiam et domum, non indignatur, non moleste fert; quia luteam suam et rusticam domunculam commutat cum cœlo, inopiam eum opulentia.

IV. Quia corpus hoc mortale et miserum, quod aggravat animam exuimus et pro eo expectamus immortale et beatum, certissimo induendum in resurrectione justorum. De hoc etiam loquitur apostolus, in cit. loc. cum pro terrestri domo cœlestem non manufactam in cœlis nobis permittit. In hoc enim corpore quasi in domo

habitat anima nostra, vel si mavis, quasi in veste; de qua loquitur S. Greg. Nazian. cum ita orat: *Domine solve hanc tunicam ita mihi gravem et ponderosam, et da mihi leviolem.* Neque solum gravis, sed etiam deformis est et misera, crucians hominem fame, siti, frigore, doloribus, pedore et sordibus perpetuo egerendis ex ore, naribus, auribus, oculis, denique per secessum omnium fœdissimum. Vestis autem illa, quæ in cœlo nos expectat, omnibus his et aliis quibuscumque defectibus caret. Dabitur enim corpus agillimum pro tardo et ignavo, subtilissimum pro crasso, clarissimum et fulgidissimum pro obscuro, immortale pro mortali. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem,* inquit apostolus I. Corint. XV. Quis autem centonem unum non libenter et expedite abjiciat, si pro ea nova et ornatissima vestis ipsi offeratur? Certe mendicus ille postulatus Manrosæ a s. p. n. Ignatio, ut centones suos cum ipsius splendida veste commutaret, non modo non recusavit, sed pro lucro habuit tam optatum sibi commercium, ut habetur in vita s. p. n. Qui ni etiam gaudeat moribundus exuere sagum suum, et pro eo purpuram induere? Sic gavisus est in spiritu David, quando vaticinans de gloria resuscitati Christi scripsit Psalm. XXIX. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti sacco meum et circumdedisti me lætitia: ut cantet tibi gloria, et non compungar.* In quæ verba Theodoretus ita scribit: « Et nunc etiam, cum aliqui stulti mortuos deplorant, et in sacco turpiter sedent, vaticinantis verba audire nolunt: quæ aperte clamant. Conscidisti sacco meum et circumdedisti me lætitia et convertisti luctum meum in gaudium mihi. Nam quemadmodum Ezechias cum quindecim annorum (qui ad vitam porro agenda concessi ei fuerant) promissionem accepisset, multo gaudio impletus est. Sic non est justum, cum nos resurgendi spem acceperimus, eos, qui mortem obierunt, lugere, verum illam cum gaudio expectare. » Saccus est vestis lugubris et sordida; quale est et corpus nostrum; quod ubi mortis forfice scissum fuerit, transibit in vestem gloriæ mire speciosam, quæ non scindetur amplius, nec unquam veterascet. Cum sartor scindit pannum holosericum, ut inde tibi vestem conficiat, nequaquam ei resistis, minime indignaris. Quid si diceret quispiam, cur permittis scindi holosericum tam speciosum? Utique responderes. Non ægre istud patior; quoniam hæc scissuræ vestem mihi dabunt longe speciosiorum, quam sit tela illa informis. Idem sentiendum in proposito. Corpus nostrum hujusmodi tela est, sed nequaquam idonea satis, et spe-